

sed quando fit, vel (quod perinde est) non tantum docet hominem esse liberum ad agendum, quando potest agere, sed etiam cum agit, et recipit inspirationem Dei; tunc autem inspiratio est efficax; ergo loquitur Concilium etiam de vocatione efficaci. Tertio, est hoc necessarium ad efficaciam et veritatem doctrinæ; nam, ut notavi, universalis est, et continet hanc generalem definitionem, *consensum supernaturalem voluntatis, cum datur, esse liberum, non obstante influxu, et motione auxiliorum gratiæ*; ergo necesse est ut Concilium etiam auxilium efficax comprehendat, quodcumque illud sit, alioqui diminuta esset doctrina, et indebite ac sine consequenti fundamento proposita, et contra hæreticos inefficax esset. Quarto, quia Calvinus de solo auxilio efficaci dixit inferre necessitatem voluntati; ergo oportet ut Concilium etiam illud comprehendat, cum negat inferre necessitatem, alioqui non contradiceret Calvino; sed istius error posset cum definitione Concilii consistere. Quocirca, sicut ex illa Concilii definitione omnes Catholici colligunt contra Calvinum non esse necessarium ad consensum, neque dari auxilium efficax necessitans voluntatem; ita nos, contra quoscumque contrarium asserentes, inferimus auxilium efficax, quodcumque illud sit, non auferre potestatem abjiciendi illud, seu non consentiendi stante illo. Ex quo ulterius colligimus ex mente Concilii auxilium efficax non esse prædeterminans, quia auxilium physice prædeterminans non relinquit potestatem dissentendi, cum impossibile sit, illo posito, non consentire.

10. *Probatur etiam auxilium efficaciæ et præveniens non esse aliquid distinctum a vocatione.* — Atque hinc possumus ex hoc loco Concilii directe probare auxilium efficax, etiam præveniens, non esse aliquid distinctum a vocatione, ac proinde esse non posse nisi vocationem congruam. Primo quidem, argumento facto, quod Concilium, ex eo quod voluntas potest abjicere inspirationem cui consensit, infert libere consentire, quæ consecutio non esset bona nisi supponeret non dari aliam præviam motionem præter inspirationem; ergo necesse est ut in ipsamet vocatione, quatenus per inspirationem datur, quæ effectum habeat, licet resisti possit, gratiam efficacem prævenientem ponat. Secundo, quia motio per solam excitationem vel illuminationem non potest prædeterminare physice voluntatem, ut in superioribus ostensum est; sed Concilium non ponit alium modum præmovendi volun-

tatem, nisi per illuminationem et inspirationem, ut ostensum est; ergo non potuit ponere auxilium efficax in motione physice prædeterminante; ergo in vocatione congrua, ut a sufficienti partium enumeratione ex communi consensu proposuimus.

11. *Respondetur supra factæ objectioni.* — Neque contra hoc obstat quod supra objicitur, quia Concilium nunquam dixit nos posse resistere auxilio efficaci vel adjuvanti; nam, licet de efficaci hoc non dixerit per illa verba expressa, satis tamen id dixit, cum docuit eum qui aliquid agit recipiens inspirationem posse dissentire; quia, qui recipit inspirationem, gratiam efficacem habet; ergo habet etiam potestatem resistendi tali gratiæ, quatenus præveniens est. De adjuvante vero nihil speciale in hoc dixit Concilium, quia necessarium non erat. Aut enim est sermo de gratia actu adjuvante, et illa, ut sic, non est gratia præmovens, sed cooperans, quæ intrinsece includit liberum consensum voluntatis. Ideoque, eo ipso quod voluntas habet potestatem abjiciendi inspirationem, non consentiendi illi, habet etiam potestatem non admittendi, nec recipiendi in se auxilium adjuvans cooperans, non per modum resistantiæ, quia tale auxilium nondum est, sed impediendo ut actu detur, utique per modum negativum, non cooperando, seu non ponendo conditionem necessariam, sub qua tale auxilium offertur. Si vero sit sermo de gratia adjuvante solum per modum principii, vel ut oblata in actu primo, sic eadem est ratio de illa quæ de omni motione præveniente, seu excitante, quia vel illa gratia adjuvans non est distincta ab excitante, ut multi volunt, et ideo æque potest illi resisti, vel est aliquis habitus, vel aliquid oblatum per modum habitus, et sic minus potest necessitare vel prædeterminare omnino voluntatem quoad exercitium.

## CAPUT XXXIV.

## ALTERI EVASIONI OCCURRITUR.

1. *Scopus et sensus capituli.* — Secunda responsio esse solet, Concilium quidem locutum esse de auxilio efficaci; tamen cum dixit liberum arbitrium motum et excitatum posse dissentire si velit, locutum fuisse de potestate in sensu diviso, non in sensu composito, ita ut sententia Concilii sit, cum illa motione Dei manere et conservari in voluntate potestatem dissentendi, non tamen potestatem illam extendi ad componendum dissensum cum tali

motione, itaque (ut aiunt) est simultas potestatis dissensus cum eodem auxilio, et ideo non de hac sed de priori locutum fuisse Concilium. Fundamentum proprium istorum auctorum est, quia putant doctrinam Concilii in sensu composito intellectam esse falsam. Ut autem in Concilio videantur aliquod habere fundamentum, ad regulas dialecticorum recurrunt, arguentes quod propositiones Concilii non habent formam modalis compositæ, ut late prosequitur P. Alvarez, qui etiam addit aliam probationem, quia sensus divisus sufficit ad intentionem Concilii; nam per illum salvatur sufficienter efficacitas gratiæ, et liberum arbitrium: primum per se patet; secundum probat, quia potestas in sensu diviso sufficit, ut in eodem instanti in quo recipit voluntas auxilium efficax, maneat in eo libera et expedita facultas, qua potest non operari, si velit.

2. Tertio, sumo aliam probationem ex eodem, disput. 93, quia Concilium Tridentinum nunquam dixit voluntatem a Deo motam posse resistere, sed posse dissentire, quia nimirum verbum *resistendi* aperte includit sensum compositum, quem non includit verbum *dissentendi*. Nam verbum *resistendi* importat quamdam renitentiam respectu auxilii, vel voluntatis Dei moventis actu; verbum autem *dissentendi* illam non dicit; ergo signum est voluisse Concilium loqui in sensu diviso, et non in composito. Quarto, contra nos ad hominem objeunt, quia nos cogimur ita explicare Concilium quoad auxilium simultaneum, nam etiam illo posito voluntas libere operatur; ergo potest dissentire, si velit; non potest autem in sensu composito, seu potestate simultatis, componendo dissensum cum tali auxilio simultaneo, ut per se notum est; ergo debet exponi Concilium in sensu diviso. Item ad hominem contra me argumentatur Ledesma, quia ego assero auxilium præveniens posse moraliter prædeterminare voluntatem, ita ut infallibiliter sequatur actio; tunc ergo non potest voluntas dissentire componendo dissensum cum tali auxilio, alias non esset infallibilis consecutio consensus a tali auxilio; ergo solum potest dissentire in sensu diviso; ergo hoc satis est ad libertatem, ac proinde ita est intelligendum Concilium. Item objeicit Alvarez, quia nos dicimus esse impossibile dissensum componi cum vocatione congrua, et ideo non posse qui illam habent, dissentire in sensu composito, sed tantum in diviso.

3. *Assertio auctoris de potestate simultatis.* — *Probatur assertio.* — Nihilominus assero

negari non posse quin Concilium in sensu composito loquatur de potestate simultatis, ita ut, non obstante motione illa antecedente, de qua loquitur Concilium nomine *vocationis et inspirationis*, in potestate voluntatis sit, illa motione perseverante, et actu instigante, non consentire, sed illam a se abjicere. Hanc sententiam ex patribus Dominicanis tenuit Joannes Vincentius, supra citatus, et ex his qui eos in sententia de prædeterminatione sequuntur, Cabrera, 3 part., q. 18, disput. 2, § 8, num. 313 et sequentibus. Eandem insinuat Vega, lib. 4 in Trident., cap. 2, in fine; et Soto, libr. 1 de Natur. et Grat., cap. 16. Probatur primo, quia Concilium loquitur de potestate ad dissentendum non obstante motione, quæ ad libertatem sufficiat; sed illa potestas in sensu diviso respectu talis motionis non sufficit ad libertatem; ergo. Major certa est, nam, ut dixi, Concilium docet hominem libere operari, et ut hoc probet, dicit: *Quippe qui et illam abjicere potest*; ergo loquitur de posse per potestatem sufficientem ad usum libertatis. Minor autem probanda est ex dictis in prolegomeno 1. Nam Concilium loquitur de motione præveniente, quæ est suppositio antecedens usum libertatis; talis enim est vocatio et inspiratio, de qua loquitur, ut ipsemet definit in can. 3; unde est ex conditionibus prærequisitis, ut homo possit supernaturaliter consentire. In dicto autem prolegomeno, ostensum est potestatem ad non agendum, posita tali antecedente suppositione, debere esse ad componendam cum illa carentiam actus, quia potestas in solo sensu diviso ad non agendum, positus omnibus requisitis ad agendum, communis est potentiis etiam naturaliter agentibus, et non libere; ergo.

4. *Arguitur secundo.* — Unde argumentor secundo, quia etiam Calvinus non negaret potestatem dissentendi in sensu diviso, etiamsi motionem necessitantem poneret. Reperio quidem in P. Alvarez, ad confirmationem quinti argumenti, Calvinum arbitrari esse, cum auxilio efficaci non posse simul esse potentiam ad oppositum actum, nec facultatem, qua homo possit dissentire, si velit, utique etiam in sensu diviso: nam in hoc sensu aperte loquitur, id enim ait negasse Calvinum quod ipse affirmat. Non allegat autem ubi in Calvino hoc legerit, nec aliquem qui de Calvino hoc referat. Nec video quomodo in mentem hominis cadere potuerit auxilium efficax ita mutare naturam voluntatis, et determinare illam ad consensum, ut non maneat in illa potestas ad

dissentendum, etiamsi auxilium auferatur. Nec etiam est verisimile credidisse Deum non posse desistere a motione semel data, vel, etiamsi desistat, non posse voluntatem velle oppositum ejus quod antea per auxilium voluerat. Imo alias docuit voluntatem, dum a Deo non movetur ad bonum, a concupiscentia necessitari ad malum, ac subinde in voluntate esse potentiam ad utrumque in sensu diviso. Et alibi, lib. 3 contra Pighi., se excusat, dicens: *Quasi ego substantiam voluntatis redigi in nihilum oportere, vel docuerim, vel ego somniaverim.* Frustra ergo, ad faciendam vim definitioni Concilii, imponitur Calvino quod negaverit potestatem dissentendi in sensu diviso, cum hæc nihil aliud sit quam potestas habendi contrarium actum, si motio auferatur.

5. Præterea, quamvis nos asseramus Deum posse necessitare voluntatem, nihilominus fatemur quod postea, motione necessitante, adhuc potest voluntas non operari in sensu diviso; tum quia carere potest motione, et illa ablata, carere operatione, vel habere contrariam; tum quia per illam motionem etiam necessitantem non destruitur, nec in se mutatur voluntas; ergo sub illa motione retinet potestatem ad oppositum, si talis motio auferatur. Ergo juxta illam interpretationem, omnino inutilis redditur definitio contra Calvinum, et insufficientis ad veram libertatem stabiliendam. Confirmatur, quia beatus necessario amat Deum, et tamen in sensu diviso potest non amare; ergo per illam potestatem non salvatur libertas præsentis actus. Quo exemplo pressus Alvarez, dicta disput. 92, num. 12, dicit amorem beati esse simpliciter necessarium, et non necessitate tantum suppositionis: *Unde* (inquit) *non solum non habebit actum contrarium dilectioni, sed nec poterit illum habere;* quæ propositio, juxta dialecticam illius auctoris, facit sensum divisum; at in illo sensu falsa est propositio; nam qui est beatus, potest in sensu diviso non amare Deum, si visione Dei careat. Unde falsum etiam est necessitatem amoris in patria non esse suppositionis, etiamsi sit necessitas ex suppositione antecedente simpliciter, id est, libertatem excludens, ut in prolegom. 4, et supra in hoc libro declaravi. Et ideo cum necessitate simpliciter subsistit potestas ad oppositum in sensu diviso. Et ita frustratur intentio Concilii, si de illa sola potestate verba ejus interpretemur.

6. *Arguitur tertio. — Probat. —* Tertio, hoc ipsum explicatur in hunc modum, quia si

vera est sententia de necessitate physica prædeterminationis, tali auxilio posito in voluntate, potentia, quæ relinquitur in voluntate ad dissentendum in sensu diviso, non est potentia proxima, sed remota; et proxime est potentia passiva et non activa ad contrarium actum, vel ad suspensionem actus ad quem voluntas est prædeterminata; ergo non est potestas ad libertatem sufficiens, nec est illa de qua Concilium loquitur. Major declaratur et probatur, quia, stante illa motione, voluntas sic affecta non potest immediate prodire in dissensum, nec ex interno dominio suspendere actum, alias posset simul componere carentiam consensus cum illa præmotione, quod repugnat præmotioni, ut ipsi dicunt; necessarium ergo est, ut prius auferatur motio, ut sic possit in voluntate esse dissensus, seu carentia consensus. Ergo, posita motione, potentia ad dissensum solum est remota; potentiam enim remotam respectu alicujus actus illam vocamus, quæ non potest immediate in illum reduci, nisi prius aliqua dispositio in illa mutetur. Et hinc facile intelligitur et probatur minor, quia, priusquam voluntas sic præmota sit capax dissensus, oportet ut illa præmotio cesset et auferatur; hoc autem non est in potestate activa voluntatis, sed tantum passiva. Quod probatur, quia impressio talis motionis a solo Deo fit in voluntate hominis passive se habente, ut in principiis illius sententiæ supra probatum est; ergo, sicut in fieri non pendet illud auxilium a nostra voluntate, nisi passive, ita neque in conservari; ergo, sicut voluntas antequam illud reciperet, tantum erat in potentia passiva ad recipiendum illud auxilium, ita, postquam illud recipit, tantum manet in potentia passiva ad cendum illo.

7. *Confirmatur. —* Et confirmatur, quia effective solum pendet illud auxilium a voluntate et potentia Dei, et non a voluntate hominis. Confirmatur præterea, quia nihil potest voluntas hominis efficere, ut a se illam præmotionem expellat, quia (ut defensores ejus dicunt) non subicitur voluntati, sed illam sibi subicit, ut, statim ac illi imprimatur, consentiat; ergo, posita illa præmotione, non potest aliquid facere voluntas quo tollatur. Declaratur in habitu charitatis; nam in via postquam homo habet habitum charitatis, potest homo aliquid facere quo illum a se expellat, quia per illum non necessitatur ad actum amoris, etiam in sensu composito; at vero in patria non potest habitum illum a se active expellere, quia ibi habitus non separatur a suo actu, cum quo

impossibilis est actus contrarius habitui; manet tamen homo in potentia passiva ad cendum tali habitu, et media tali carentia jam poterit actum contrarium efficere. Sic ergo cum auxilium prædeterminans tale sit, ut repugnet esse sine consensu actuali, eo ipso quod imprimatur voluntati, non potest voluntas aliquid agere, quo illud auxilium a se expellat; ergo solum manet in potentia passiva ad cendum illo, ac subinde æque ad cendum consensu.

8. Ex quo tandem probatur prima consequentia in argumento facta, quod talis potestas ad libertatem non sufficiat, quia libertas non est in potentia passiva, ut passiva est, sed ut est activa; et ideo usus libertatis agendo debet inchoari, ut in prolegom. 4 ostensum est. Sed postquam homo recipit talem motionem, non est in potestate hominis carere illa, quia solum est ad hoc in potentia passiva; ergo quamdiu Deus ex se non aufert illam motionem, non est in potestate libera voluntatis dissentire illi motioni; ergo illa potestas in sensu diviso non sufficit ad liberum usum; ergo non loquitur de illa Concilium.

9. *Arguitur quarto. —* Unde quarto argumentor ex verbis Concilii, nam in cap. 6 ait, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, hominem illam libere recipere, quippe qui illam abjicere potest; tribus enim modis possumus verbum *abjiciendi* interpretari; primo, ut idem sit quod non admittere talem motionem, seu impedimentum quasi præveniens apponere, ne imprimatur. Et hic sensus non habet locum; tum quia hoc non est in potestate voluntatis, ut supra late ostensum est; tum quia Concilium evidenter loquitur de inspiratione jam in homine recepta, de qua dicit non inferre necessitatem, quia homo potest illam abjicere. Et proprietas verbi *abjiciendi* idem requirit, ut per se constat. Secundo ergo *abjicere* idem significare potest quod illam motionem a se pellere; tertio, ut sit idem quod illi non consentire, etiamsi insit. Et hic posterior est vera sensus Concilii; tum quia id satis est ad libertatem consensus; tum quia in ean. 4 hæc verba explicantur per illa, *posse dissentire si velit.* Tamen, licet secundus sensus admittatur, non potest ad auxilium prædeterminans applicari, ut ex paulo antea dictis manifestum est; nam verbum *abjicere* non significat solum potentiam passivam carenti tali motione. Quis enim dicat hominem videntem Deum posse abjicere lumen gloriæ, solum

quia potest illo privari a Deo? Verbum ergo *abjiciendi* activum est, et requirit potestatem activam pellendi a se talem motionem; hanc autem non habet voluntas, ut explicavi.

10. *Instantia. — Solvitur. —* Dices: etiam hoc modo non potest voluntas abjicere inspirationem, quia est actus necessarius, et a Deo solo fit libere. Respondeo primo, esto ita sit, non referre, quia, ut dixi, Concilium non loquitur de hoc modo abjiciendi; secundo, dico esse dissimilem rationem; nam voluntas aliquo modo potest a se abjicere inspirationem, quia, illa non obstante, potest velle aliquid illi repugnans; et consequenter potest velle applicare intellectum ad alia objecta creata, et ita mentem a sancta illa cogitatione avertere, utique ponendo illi impedimentum. At prædeterminatio non permittit hoc voluntati, quia inevitabiliter facit illam adhærere consensui, et ita non permittit illi habere actum consensui contrarium, nec velle aliquid quo illi prædeterminationi impedimentum ponat. Præterquam quod, juxta illam sententiam, voluntas non potest se vel intellectum ad aliud applicare, nisi per aliam motionem ad id prædeterminetur, et tunc ipse Deus aufert unam præmotionem, ut aliam imprimat, voluntas autem nunquam potest a se abjicere prædeterminationem. Unde non video quomodo in ejus sententia verum esse possit quod Ledesma supra dicit, voluntatem suis viribus posse abjicere motionem Dei prædeterminantem; quid enim faciet ut eam a se abjiciat, cum eam nec facere nec impedire possit? Nec etiam potest illam abjicere in alio sensu, quod probatur primo, quia non potest illam abjicere dum est, ex aliorum sententia, quia hoc includit sensum compositum; sic enim homo abjicit inspirationem, quando, illa stante et durante, illi dissentit; non sic autem potest abjicere prædeterminationem, quia, dum est, impossibile est non habere consensum. Nec etiam potest illam abjicere postquam ablata est, quia nemo abjicit a se quod non habet; quis enim dicat hominem abjicere vestes quibus ab alio spoliatus est? Unde attente est ponderanda in verbis Concilii particula *illam*, nam evidenter facit sensum compositum; tunc enim quis abjicit motionem hoc modo, quando illi sua voluntate se opponit, et facit ut effectum careat, quod non fit nisi stante motione. Nam si motio cessat, etiamsi homo quippiam aliud operetur, jam non se opponit motioni, nec illam suo effectu privat, cum jam non sit; ergo non abjicit illam; nemo enim abjicit quod non habet.